temporibus inuiolabiliter obſeruari debere, ac generali, zeloſo, fratribus, & perſonis Ordinis Minimorum huiuſmodi; necnon alijs quibuſcunque quos illa concernunt ſuffragari, & ſic per quoſcunque iudices quauis author. fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi, & facultate, iudicari, & diffiniri debere. Necnon quicquid ſecus ſuper his, à quoquã quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter cõtigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Conceſſa vni domui intelliguntur conceſſa omnib' eiuſdē ordinis ſupra. Clem. car. 178.

¶ Necnõ priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, exemptiones, fauores, & gratias huiuſmodi, & forma, quibus conceſſa ſunt, ad domos, & loca quęcunque dicti Ordinis fratrum Minimorum hactenus recepta, & in poſterum recipienda, extendimus, & ampliamus. Non obſtãtibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; etiam generalis Concilij Lateranen. vltimò celebrati, ac Ordinũ prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatuente, & conſuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ ſingulis prædeceſſores prædicti, in ſuis literis prædictis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. ¶ Cæterum quia difficile foret, præſentes literas, ad quæcunque loca, vbi illæ neceſſariæ fuerint, deferre: volumus, & prædicta Apoſtolica author. decernimus quòd earundem prædictarum literarum trãſumptis, manu notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius prælati eccleſiaſtici munitis, ea prorſus in iudicio, & extra, fides adhibeatur plenaria, ac illis ſtetur in omnibus, & per omnia, ſicut ipſis originalibus literis adhiberetur, & ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, ſub anulo piſcatoris, die 25. Iulij. 1540. Pontificatus noſtri. Anno 6.

Paulus